

NOBILIBVS, MAGNIFICIS, PRV-  
DENTISSIMISQ; VIRIS, DOMINIS CON-  
sulibus Senatuiq; inclytæ Reipublicæ Norimbergensis,  
Dominis & Patronis suis perpetuò  
colendis,

S. D. P.



**D**u equidem nihil habui antiquius, nihil exoptavi atq; expecta-  
ui magis, Viri Amplissimi: quam ut meæ singularis erga  
VOS obseruantie, studij, atq; officij declarandi daretur op-  
portunitas. Sed nunquam adhuc expectationi meæ respondit  
euentus. Quanquam enim antehac multas variasq; canti-  
lenas in vulgus ediderim: nulla tamen ex omnibus digna  
mihi visa est, quæ amplitudini vestræ inscriberetur. Nunc  
autem, cum opus hoc Musicum diuino munere ex ingenio meo depromptum, & longo  
tempore, multo labore, singulari industria elaboratum, in lucem conspectumq; hominum  
dare statuissem: omnino mihi faciundum existimaui, ut VOBIS qualecunq; id esset  
consecrarem ac dedicarem: partim, ut pro eximijs vestris beneficijs, quibus me, nihil ta-  
le pro merito, ornastis, gratiam aliquam persoluerem; animumq; patriæ cupidissimum  
amantissimumq; testificarer: partim, ut nominis vestri splendore atq; autoritate om-  
nem obtrectationem ac maledicentiam ab opere meo deterrerem atq; depellerem. Qua-  
propter Patroni summè obseruandi, humanitatis vestræ erit, munusculum hoc, quantu-  
lumcumq; id est, animo benigno accipere, meq; in posterum, ut hætenus fecistis, fauore ac  
benevolentia vestra complecti. Mihi vicissim erit curæ, ut meum aliquando studium atq;  
conatum maioribus in rebus planius ac plenius cognoscatis. Interim Deum opt. max.  
precor & precabor, ut Rempub. vestram optimè constitutam ad multas seculorum ætates  
incolumem florentemq; conseruet ac tueatur. B.V. Augustæ Vindellicorum. Anno 1601.

V. Amplitud.

Cliens obseruantiss:

Ioan. Leo Haslerus.